

195  
16

DISPVATIO  
DE NORMA ET  
FVNDAMENTO FIDEI,  
ET RELIGIONIS CHRISTIANAE, IN  
qua etiam de Symbolis ac confessionibus  
Ecclesiæ, tam vniuersalibus, quam particulari-  
bus, nonnihil disseritur.

*Quæ dante & volente Deo per Christum, in Aca-  
demia Iulia habebitur,*

Præfide  
Iohanne Hederico Th. D. &  
Professore: Respondente autem M. Zacha-  
ria Ronnenbergio, Ecclesiæ Helmstadenfis  
Concionatore.



HELMSTADII  
Ex Officina Typographica Iacobi Lucij.  
Anno M. D. XC.

DE NOMINE  
SANDAM...  
IN

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...





Reuerendo in Christo patri ac  
DOMINO D. PETRO VLNERO, ABBATI  
Coenobij Bergensis dignissimo, domino & patrono  
Suo reuerenter colendo.



*Leganter & graphicè, fructum passionis & resurrectionis  
sua, Christus describens, inter cetera inquit: Narrabo  
nomen meum fratribus meis, & in medio Ecclesie lauda-  
bo te. Et alibi: Sic oportebat Christum pati, & resur-  
gere à mortuis, & predicari in nomine eius pœnitentiam,  
& remissionem peccatorum. Quibus verbis ipse Chri-  
stus, inter amplissimos & uberrimos, obedientie sue, o-*

*mnibus numeris absolutissime, patri in cruce præstita, fructus, præcipuum  
constituit sacrosanctum verbi diuini ministerium, & à seipso gestum, & A-  
postolis postea, & alijs commendatum, eiusq; cum dignitatem & præstanti-  
am, tum utilitatem non obscure ostendit. Filij quidem huius seculi, mini-  
sterium verbi contemnentes, illud ceteris vitæ ordinibus postponendum esse  
censent, utpotè cuius nullam, vel excellentiam, vel usum esse putant, ideoq;  
piorum concionatorum hostes se profitentes, nos omni contumeliarum genere  
& exilijs persequuntur, immo extremo sæpè supplicio afficiunt: sed in timore  
Domini rem perpendentes, vel ex his Christi verbis, & iudicio Spiritus san-  
cti satis intelligunt, hoc munere nihil præstantius, nihil sublimius, nihil hu-  
mano generi utilius esse. Etenim illius non tantum author & gubernator,  
DEVS pater, Dominus mensis constituitur, sed illud ipsum morte & resur-  
rectione Christi salutifera partum est, adeò, ut nullus Monarcha, omni sua  
potentia, unum fidelem Doctorem Ecclesie Dei largiri possit: Sed hoc solius  
IESV Christi crucifixi, resuscitati, & ad dextram Dei exaltati, opus ma-  
neat. Inter alia itaq; beneficia, quæ Deus generi humano confert, hoc vnū est  
è præcipuis, quod ipse ex immensa bonitate in paradiso inchoauit ministeriū  
spiritus, illudq; ad finē vsq; mūdi contra portas inferorū conseruat, omnibusq;  
temporibus Ecclesie sue synceros, præstantes, & fideles doctores largitur.  
Præterea ex his Christi verbis satis superq; constat, quanta sit huius ministerij  
verbi &*



verbi & sacramentorum utilitas, illud enim unicum est medium & organon,  
& quasi manus Dei, qua beneficia Christi morte sua & resurrectione nobis <sup>parva</sup>  
offert, exhibet, & quasi per canalem ad nos deriuat, in hominibus veram sui  
noticiam, pœnitentiam, fidem in Christum, iustificationem, salutem, inuoca-  
tionem, obedientiam operatur, & hinc ad fideles omnis vita, & solida conso-  
latio, tentationibus, cū corporalibus, tum vel maximè spiritualibus opponenda,  
proficiscitur. Caterum hoc sublato in terris ministerio spiritus, homines his  
commemoratis bonis, & consolatione destituti, similes sunt ouibus pastore &  
pabulo salutifero carentibus, & tandem contabescere, & in tristem despera-  
tionem eos ruere necesse est. Vnde facile apparet hoc Dei beneficium summo  
loco habendum, & hunc unicum & verum esse thesaurum, & gloriam, urbis  
ac regionis alicuius, in qua omnis salus nostra consistit, tantum abest, ut quic-  
quam cum hoc beneficio conferri queat, adeò, ut huius contemptus sit peccatum  
omnium maximum, extremum exitium, imo aeternam damnationem homini-  
bus afferens. Cum autem ministerium docendi in Ecclesia, idoneis, doctis,  
& donis ad hoc necessarijs ornatis personis, sit committendum, necesse est, ut  
ille à iuuentute in scholis, diligenti institutione, in artibus, linguis, & sacris  
literis, ac locis doctrine cœlestis, per publicas, ac priuatas, cum prælectiones,  
tum disputationes, ad illud præparentur & informentur, ut sciant, quenam  
norma & fundamentum doctrine & ministerij esse debeat, ut tenentes for-  
mam sanorum verborum, esse possint διδασκοί, ὀρθοτέρους τὸν λόγον τῆς ἀ-  
ληθείας, & σωατοὶ τῆς ἀπίστευτοῦ ἐλέγχου, & fideles mysteriorum  
Dei agant dispensatores. Hoc fine DEVS in populo suo templis semper ad-  
iunxit scholas, cum particulares seu Synagogas, tum Academiam Ierosoly-  
mitanam, quam Christus sua presentia & colloquio ornatam sanctificauit, in  
quibus prælecta & explicata sunt scripta Moysis & Prophetarum, & vera ac  
genuina illorum sententia monstrata, & falsa ac contraria opinio ex solidis  
fundamentis refutata. In hunc usum singulari bonitate & misericordia  
DEVS, non tantum per salutare organon suum D. Lutherum pia memoria,  
doctrinam religionis à sordibus pontificijs repurgatam, patria nostra dilecta  
Germania, in lucem produxit, verum etiam multas nobilissimas academias,  
propter ministerij Spiritus, puritatis doctrine cœlestis, artium & linguarum  
conseruationem & propagationem instituit, & in amplissimo hoc ducatu  
Brunsvicensi, fundatore illustrissimo duce IULIO, hanc Academiam Iu-  
liam de nouo erexit, & per successorem pijs parentis, reuerendissimum & Illu-  
strissimum Henricum Iulium, Episcopum Halberstadensem, ducem Brun-  
svicen-

197  
suicensem & Lunenburgensem, Rectorem & Cancellarium illius perpetuum, eandem quotidie magis exornat & amplificat, in qua prater artes & linguas, pura & sana doctrina caelestis sonat, & praecipui articuli fidei, ex immotis & validissimis sacrae scripturae fundamentis, explicantur & confirmantur, textus biblici, ex singularum vocum significatione, & emphasi, ac phrasi, ex occasione, circumstantiis, orationis contextu, antecedentibus & consequentibus, collatione locorum veteris & novi testamenti, vel similium, vel dissimilium, obscuriorum cum clarioribus, illiq; antithesi illustrantur, & praxis monstratur, errores quoq; & falsa dogmata ex iisdem fundamentis reijciuntur, in quem usum quoq; privata & publica disputationes saepe instituuntur. Cum autem ordo publicarum disputationum ad reuerendum & clarissimum virum Iohannem Hedericum, sacrosanctae Theologiae Doctorem, & professorem publicum peruenerit, initium illius recte constituit locum de verbo Dei & sacrae scripturae, unica nempe norma, fundamento, regula, & Canone religionis Christianae, & dijudicationis omnium controuersiarum. Et quia mea opera in respondendo uti voluit, breui praefatione, viro alicui pio, & literato, Theses hasce dedicandas esse una cum ipso censui. Quae de causa hos de norma fidei & religionis nostrae aphorismos, Pater reuerende & amplissime, T. reuerenda dign. inscribere volui, ut in mentem ei reuocare, magni illud Dei beneficii, quod olim in tenebris pontificiis educata, & inde ad lucem veri Evangelii perducta sit, & cum laude agat iam fautorem & promotorem insignem, ministrorum verbi diuini: & in primis, ut gratitudinem meam erga R. D. T. propter beneficia varia, ex singulari iam tum mihi perspecta animi beneuolentia in me profecta, publice testatam facerem. Spero R. D. T. hoc meum propositum in meliorem partem interpretando, me aequè ac antea singulari amore complexuram esse. Scriptum Helmstadij pridie Calend. Martij Anno reparatae salutis 1590.

T. R. D.

reuerenter colens

M. ZACHARIAS RONNEN-  
bergius.

A 3

DISPV-

DISPVATIO  
De Norma & fundamento totius  
fidei, & Religionis Christianæ, in qua & de symbolis  
ac confessionibus Ecclesiæ, tam vniuersalibus quam  
particularibus quædam in-  
feruntur.

Thesis I.

**V**Nica est Norma, & vnicum fundamentum, totius  
fidei, & Religionis Christianæ, verbum Dei, vel do-  
ctrina ab ipso Deo, & Filio eius *Λόγος*, Domino &  
Redemptore nostro IESV CHRISTO reuelata,  
& per *ἡ ἀριστὸς θεὸς ἡ αὐτόπλοος*, & sancti spiritus in-  
stinctu, seu afflatu concitatos, atq; gubernatos ser-  
uos, Mosen, Prophetas & Apostolos tradita, in qua Deus verè hu-  
mano generi, essentiam ac voluntatem suam patefecit.

II.

Vnde ex solo hoc verbo, de Deo, de Articulis fidei, & cultibus  
diuinis statuendum ac iudicandum, nihilq; illi, vel addendum, vel  
detrahendum est: & omnes opiniones, aut errores de Deo, de my-  
sterijs diuinis & cultibus, ab hoc verbo discrepantes, omni studio  
præcauendi, & repudiandi sunt.

III.

Etenim de eo plurima, viuentis Dei mandata extant, quibus  
serio præcipitur, vt dilectum filium audiamus: vt ad legem & testi-  
monia recurramus: vt scrutemur scripturas, Mosen & Prophetas:  
nec addamus ad verbum, quod nobis per eos Deus loquitur, nec  
detrahamus ex eo: Sed vt simus superstructi super fundamentum A-  
postolorum & Prophetarum, summo lapide angulari IESV CHRI-  
STO: & vt verbo Dei attendamus, tanquam lucernæ, in caligine &  
tenebris nostrarum mentium lucente, donec illucescat dies, & lu-  
cifer vitæ æternæ in cordibus nostris oriatur &c.

IIII.

Quia vero etiam, si quid ab illo verbo alienum, eiq; contrarium  
profera-



proferatur, detestari illud iubemur, secundum hoc Apostoli dictum, maioris asseuerationis gratia, bis eodem capite positum & inculcatum: Etiam si nos, aut Angelus è cœlo euangelisauerit vobis, præter id quod euangelisauimus vobis, anathema sit.

V.

Deinde de vnica hac norma, nos edocent illustrissima, omniumq; obseruatione dignissima exempla, ipsius Christi & Apostolorum, qui quoties veritas cœlestis, & summa eius mysteria confirmanda, illustranda, & aduersus ἀντιλέγοντας asserenda fuerunt, non aliunde, sed ex ipsa scriptura eorum testimonia, & probationes euidentissimas, omniumq; certissimas protulerunt.

VI.

His accedit illud, quod omne consilium Dei, de hominum salute, in ea exprimitur, ita vt præter illam, alijs non sit opus normis & fundamentis.

VII.

Vnde Apostolus grauiter ac luculenter: Tota inquit scriptura diuinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia. Vt perfectus sit Dei homo, ad omne opus bonum perfectè instructus: vel vt neruose, Syriacum Testamentum posteriora hæc profert:

וְשֵׁן וְעֵלְמָה חֵנְפָא וְאַלְסָא  
לְמַא חֲכִי לֵב סְמִיפִלְקָא  
דְּנִתְוֹא נְמִיר בְּרִנְשָׁא דְאַלְהָא לְכָל עֵבֶר טַב וּמְשַׁלְמָן

VIII.

Præterea fidei certitudo nulla existere posset, nisi vnica, certa, perpetua, ac solidè sibi per omnia constans norma, à Deo tradita haberetur, ad quam omnibus mundi temporibus, vniuersa piorum Ecclesia alligata esset.

IX.

Qua de causa etiam tota Antiquitas pia, sacras literas Bibli-cum Canonem, & canonica scripta appellare solita est, vt indicaret, vnicum hunc veritatis inquirendæ & asserendæ Canonem seu Normam esse, secundum quam cætera quæuis, sint examinanda & iudicanda.

X.

Hinc de more antiquitus in concilijs obseruato legitur, veteres vbi ea



vbi ea celebrarunt, in medio, & in propria quadam, ac honestiore sede, Euangeliorum librum collocasse, vt nimirum facerent testatum, Christum secundum promissiones suas, in medio ipsorum esse presentem, eumq; solum in Euangelio suo, aut literis sacris loquentem, veluti vnicum præceptorem, ac vnicam viam ac veritatem, audiendum, & ab eo, aut verbo ipsius, ne latum quidem, quod dicitur, vnguem, siue ad dextram, siue ad sinistram deflectendum esse.

XI.

Est igitur sacra scriptura in controuersijs, de doctrina & religione Iudex, nec vllius vel Angeli, vel hominis censuræ subiecta: etiam si partibus in illa dissidentibus, dari possunt iudices, viri docti & pii, qui tamen minimè sua autoritate, aut arbitrio, aut longa consuetudine, sed ex ipso Dei verbo, æterna veritate, de capitibus controuersis iudicent.

XII.

In hanc sententiam Orthodoxorum etiam vetustiorum, saniora testimonia & dicta, multoties inculcata, contra peruersas reclamantium vociferationes extant, quibus nos, vbi de iudicio & certitudine, grauissimarum religionis ac salutis causarum agitur, ad hanc normam, seu scripta Prophetica & Apostolica, vt *ἀντίμα*, & non ad sua, vel alia illi ablegant.

XIII.

Nam Irenæus aduersus Valentini, & similium scripta, lib. 2. cap. 56. Scripturis, inquit, diuinis niti, certa & indubitata veritas est, infirma & valida petra est, domum suam ædificare: Hac vero derelicta, alijs niti quibusdam doctrinis, incertum effusæ arenæ (vnde facilis euersio) est ruinam statuere &c.

XIIII.

Et Cyprianus sermone de Baptismo Christi: Hoc natura, hoc ratio, hoc (Domine) verbi tui clamat authoritas, hoc ex ore tuo audiuius, hic inuenit consummationem omnis religio. Primum est hoc mandatum & vltimum: Hoc in libro vitæ scriptum, indeficientem & hominibus & Angelis exhibet lectionem. Legat hic viuum verbum, & in mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas promanasse, & hinc nasci, & huc reuerti, quicquid Ecclesiastica continet disciplina &c.

Et Au-

XV.

Et Augustinus in Epistola ad Hieronymum: Ego, inquit, solis  
eis libris, qui Canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt  
nullum eorum scriptorum errasse credam, cæteros vero quantalibet  
sanctitate doctrinaq; præpolleant, ita lego, vt non ideo verum cre-  
dam, quia ipsi sic senserunt, sed si per Canonicas scripturas, aut ra-  
tione probabili mihi persuadere potuerunt.

XVI.

Et Hieronymus 24. quæ. 1. Can. Non adferamus, non adfera-  
mus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, pro arbitrio  
nostro dicentes: Hoc graue est, hoc leue est: Sed adferamus diui-  
nam stateram, de scripturis sacris, tanquam de thesauris dominicis.

XVII.

Sic idem super Matthæum cap. 23. Quod, inquit, de scripturis  
non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua pro-  
batur.

XVIII.

Similia patrum, vt vocant, dicta, quibus sola scriptura verita-  
tis, in dogmatibus Ecclesiæ, & controuersijs de ijs, norma asseritur,  
nunc omitto.

XIX.

Quid vero etiam de ipsorum Ecclesiasticorum Doctorum, siue  
vetustiorum, siue recentiorum, scriptis & dictis sentiendum sit, &  
quem in controuersijs, de intellectu scripturæ locum habeant,  
quodq; minime Biblijs sacris exæquari possint & debeant, alia dis-  
putatione *συνὴ Ἰεσῶ*, suo tempore ostendendum erit.

XX.

Nunc porro de vnica, quæ nobis semper in conspectu esse de-  
bet, fidei & cultuum diuinorum norma, agendum est in his thesibus,  
& quæ reliqua sunt, argumenta certitudinis de ea, saltem attingen-  
da erunt, quæ suo loco pluribus declarantur.

XXI.

Etenim quemadmodû in Philosophia, & omnib. artib. quæ acu-  
mine humani ingenij inuestigantur, sua sunt *κρίτηρια*, quæ earum  
certitudinem muniunt: Sic etiam de sacræ scripturæ norma, con-  
stant argumenta, quibus euidencia certitudinis in ea comprobatur,  
B & assen-



& assensio in nobis, aduersus Epicuræas, de fabellis scripturæ voces,  
& quascunq; alias dubitationes, aut impias opiniones confirmatur.

X X I I.

Ex illis igitur primum *κρητήριον* est, quod sumitur ab efficiente, seu auctoritate & patefactione diuina, quia videlicet scriptura Deum ipsum habet autorem, & inde etiam sacra, diuina ac cœlestis nominatur & agnoscitur, quia à Deo sacratissimo, omnis boni ac sapientiæ vberrimo fonte, ac purissimo, originem suam habet: & quia res sacras ac cœlestes, longeq; supra captum rationis humanæ positas, continet.

X X I I I.

Secundum peti solet, ex stupendis Dei miraculis, Diabolo impossibilibus, quibus norma veritatis cœlestis confirmata, & ab opinionibus aliarum gentium distincta est, sicut ea in veteris & noui Testamenti scriptis recensentur, nempe resuscitatio mortuorum, repressi solis cursus, partus mulierum, quæ & sua natura steriles, & senecta effœtæ fuerunt, partus virginis &c.

X X I I I I.

Tertium constat ex vniuersali experientia omnium piorum, qui in quotidianis exercitijs pœnitentiæ, inuocationis & inter multiplices vitæ suæ casus, tandemq; in agone mortis, veluti in praxi, certitudinem ac veritatem oraculorum diuinorum experiuntur, quando Arrabone, spiritu sancto obsignantur, in magnis doloribus eriguntur, & fides in ipsis verè est *ἔλεγχος ἔβλεπε μύων*, vt Epistola ad Hebræos loquitur.

X X V.

Quartum constituit Antiquitas, quod nimirum doctrina cœlestis, in libris Prophetis & Apostolicis comprehensa, est antiquissima, quia mox à condito genere humano, certis testimonijs promulgata, & propagata est, atq; originem mundi, Angelorum & hominum, & religionis veræ edocet. Id quod de nullis aliorum Ethnicorum & populorum extra Ecclesiam libris demonstrari posse, manifestum est.

X X V I.

Quintum dependet ex vaticinijs selectioribus, in iisdem comprehentis, qualia sunt de Messia, de propagatione Euangelij, de Monarchijs, de Antichristo, & alijs negotijs, quæ nulla creaturarum sapientia

200  
pientia certò perspicere potuit, & quibus etiam euentus certò re-  
spondit.

XXVI.

Sextum est idem consensus, vna *ἀναλογία*, & perpetuitas do-  
ctrinæ sacræ, inde ab initio mundi, ad hæc vsq; tempora, secundum  
quam Patriarchæ, Prophetæ, & omnes pij, ante aduentum Messia  
saluati sunt, & nunc post exhibitum illum, omnes in eum credentes,  
saluantur. Econtra de Ethnicis & falsis religionibus notum est, eas  
subinde mutatas esse, & tandem prorsus interiisse.

XXVII.

*Septimum*  
Septimum ostendi potest ex eo, quo norma hæc comprehensa est,  
orationis genere simpliciore quidem, sed cui mira vis & energia in-  
est, & quo res summæ, arcanæ & æternæ, sine fuce, ostentatione, la-  
byrthis & impuritate explicantur, vt inde etiam præsentia Spiri-  
tus diuini, colligi queat.

XXIX.

Nonum est miranda & perpetua, inter multiplices ruinas & va-  
stationes, conseruatio Ecclesiæ, hanc normam piè constanterq; am-  
plectentis, eiusq; aduersus crudelissimam vim, potentiorum mundi  
imperatorum, & ipsas inferorum portas protectio.

XXX.

Decimum, odium & furor Diaboli, qui vt mendax & homicida,  
immani rabie, religionem & Ecclesiam, fundamento isto, de quo lo-  
quimur, nitentem, perpetuò persequitur, cum mancipijs suis, se-  
cundum verba decreti antiquissimi, de certamine serpentis, & se-  
minis mulieris, mox in Paradyso editi.

XXXI.

Vndecimum est testimonium, & constantia sanctorum Marty-  
rum, qui præter Prophetas & Apostolos, inde vsque ab Abelo, cer-  
titudinem & veritatem huius normæ, effuso sanguine suo testati  
sunt, & ad hunc vsq; diem attestantur.

XXXII.

Duodecimum sunt horribiles pœnæ, impiorum & persecuto-  
rum, veritatis ac doctrinæ cœlestis, quibus etiam in hac vita, illos  
fuisse deletos & oppressos constat: præter id quod manifestæ & fina-  
les eorum pœnæ tunc conspicientur, cum se rursus filius Dei, palam  
generi humano, in suo corpore glorificato ostendet, & vniuersale iu-  
dicium exercebit.

B 2

His ita

XXXIII.

His ita de norma verbi, quod solum *αὐτόπιστα*, indubitatum ac diuinum est ostensis, nunc de Symbolis etiam Ecclesiae, & confessionibus eius, aliquid subiungendum erit: An illae loco normae haberi possint & debeant?

XXXIII.

Etenim constat mox in primitiua Ecclesia, circa & post Apostolorum tempora, breues quaedam summas fidei, quas mente circumferrent, & quas opponerent corruptelis ac haeresibus, necessario conscriptas, magnoq; consensu receptas esse, quae Symbola nominata sunt.

XXXV.

Ex ijs praecipua, catholica & vniuersalia recenseri solent, Apostolicum, Nicenum, Athanasij: cum quibus coniungimus Symbolum, in prima synodo Constantinopolitana, ex Niceno repetitum, sicut etiam Ephesinae & Chalcedonensis fidei confessionem.

XXXVI.

Horum Symbolorum autoritas & certitudo, non aliunde, quam ex scripturae sacrae, & totius Ecclesiae perpetuo consensu, vnum & idem fundamentum verbi inuiolatum tuente, & constanter de veritate eius testificante, dependet.

XXXVII.

Nam alias, nec Angelorum, nec hominum Ecclesia, eam habet potestatem, vt articulos fidei, hominum conscientiam obligantes condant.

XXXVIII.

Id quippe solius Dei esse, omnino statuimus, & ideo non Deo propter Ecclesiam, sed Ecclesiae propter Dei testimonium credimus: sicut & Symbola ipsa, non habent autoritatem obligandi conscientias, propter vocem Ecclesiae, sed propter testimonium vocis diuinae.

XXXIX.

In condendis igitur Symbolis, non id est Ecclesiae aut Synodi, vt noua dogmata cudat, sed vt tantum profiteatur sententias, prius in scriptis Prophetica & Apostolica traditas, & vt ostendat, ad quem modum dicta Prophetica & Apostolica intelligat, atq; testetur ab ipsis Apostolis, eiusmodi intellectum ad posteros transmissum esse.

XL.

Eadem ratione quod ad consensum attinet, quem nominauimus, &

201  
mus, & quem magnificimus, non est ille conspiratio factionum, contra saniora dogmata, aut profitentes illa, nec in multitudine consistit, sed in veritate doctrinae, siue in hac ipsa, de qua sermo est, norma, semper religiose obseruata.

XLI.

Iam si queratur, An etiam Symbola, quae sunt Oecumenica, possint pro Norma ac regula credendi, docendi & iudicandi in Ecclesia haberi? Respondemus id admitti, hoc discrimine seruato, quod scriptura sacra, vt haecenus ostensum est, sola & vnica eiusmodi norma per se est, hoc est, quae propria seu diuina valet autoritate: At vero Symbola sunt norma non per se, sed propter scripturam, & manifestum cum ea consensus, propter quem nemo à Symbolis dissentire potest, nisi simul etiam ab ipsa scriptura dissentiat.

XLII.

Quod etiam respectu scripturae, vt solius norma, Synodi in condendis Symbolis, auctoritatem suam obtineant, testantur ipsi veteres, vt Chrysostomus in Homilia de profectu Euangelij, vbi: Concilium, inquit, nihil habet statuere, contra verbum Domini. Est enim error, quicquid contra sacram scripturam decernitur. Nam nugis hominum, non attendendum est, sed doctrinae Spiritus sancti.

XLIII.

Et Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum lib. 3. cap. 14. Sed nunc, inquit, nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam praedicatoris praefere concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunq; proprijs, sed vtriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet &c.

XLIIII.

Admisit ergo Augustinus, vt aduersarij, vel ipsam Synodum Nicenam, licet sacrosancta habeatur, reijcerent, & flagitauit vt solius scripturae, aut verbi gladio secum concurrerent, nec regia, aut praetoria auctoritate, vt fit in iudicijs politicis, sententias obtruderent.

XLV.

Ex his etiam statuendum erit, de particularibus Ecclesiae Symbolis, & confessionibus, quae corruptelis & impijs erroribus accrescentibus, necessario conscriptae & receptae sunt, ac suam inde auctoritatem





202

disputationum inextricabiles abripiatur, & à verbis institutionis ipsius Christi abducatur.

LII.

Ad eiusdem Confessionis in Ecclesijs nostris declarationes, referuntur & illæ, quæ iubentibus Magistratibus, in Ducatibus, & ditionibus ipsorum, passim promulgatæ & propositæ sunt, vel nomine Corporis Doctrinæ, vel Agendæ Ecclesiasticæ, aut similibus: ita tamen vt ij, qui nostrarum sunt partium, in vna eademq; Confessione Augustana, quæ fundamento sacrae scripturæ nititur, & cum Symbolis Oecumenicis consentit, cum alijs repurgatis Ecclesijs sano intellectu acquiescant.

LIII.

Ex his quæ de sola verbi diuini norma, hætenus sunt declarata, secundum quam & œcumenica & specialia Symbola, dirigi & examinari necesse est, facile iudicare licet, qua impietate & immanitate Pontificij, verbum & religionem viuientis Dei conculcent.

LIII.

Etenim mordicus contendunt, scripturam ambiguam esse & obscuram, & ideo alijs Doctoribus, & clariore doctrina opus esse, nec posse & debere nos ea sola niti & acquiescere, vt fidei norma & fundamento.

LV.

Addunt non omnia necessaria in ea comprehensa, eaq; de causa, quæ deficiunt aliunde, nimirum ab ipsis, & conciliabulis eorum petenda esse.

LVI.

Præterea blasphemant scripturam sacram esse *μῆλον ἐρίδος*, seu materiam litis, & ex Scriptura omnes hæreses oriri, ipsosq; hæreticos maximè niti patrocinio Scripturarum, & propterea libros eiusmodi remouendos, aut non omnibus legendos esse, qui tantis malis occasionem præbeant.

LVII.

Hinc igitur pugnant, Ecclesiam & Concilia supra Scripturam esse, & ideo magis ei credendum, & sepositis sacris libris, Romanam potius Ecclesiam esse audiendam.

His ad-

LVIII.

His addunt Canonistæ, cum alia commenta impia, tum illud distinct. 19. Quod omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendæ sint, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ: & ideo etiam, quod auditu tetrum est, finxerunt Papam novos fidei articulos condere posse &c.

LIX.

Sed hæc & alia falsissima, inq; Deum contumeliosa, & propterea execranda esse, de sacris testimonijs & exemplis, quorum supra quædam attigimus, manifestum est,

LX.

Quin vero etiam sibi ipsis contradicunt, quod libros Propheticos & Apostolicos, nominant quidem Canonicos: at vero vnicum Canonem fidei & religionis esse negant.

LXI.

Sic Canonistæ sibi ipsis contradicunt, quod alibi ex ipsorum assertionibus, vt distinct. 36. & 88. statum præsentem Episcopatum politicum, cæterosq; abusus, erroris conuinci posse colligitur, & tamen alijs in locis, vt ostensum est, de decretis & primatu Pontificis tantopere dimicant.

LXII.

Gratias igitur perpetuas meritò agimus, Deo benignissimo, qui blasphemijs & abominationibus Pontificijs, his temporibus detectis, ad agnitionem veritatis suæ cœlestis, nos perducere voluit.

LXIII.

Et cum non sit aliud quicquam, in corrupto hoc seculo expectandum, quam ἀπορονδον inter Semen mulieris, & semen serpentis certamen, non cessantibus euomere Sathanæ mendacia, nec nos veritatem Dei opponere desistamus.

LXIII.

Nec putemus Deum ita infelicitè & dolosè, normam ac regulam verbi sui, veluti lucernam in tenebris accendisse, vt ea tanquam ambigua & obscura, non tollat, sed offundat nebulas aut tenebras, & dissidiorum femina, aut materiam subministret.

LXV.

Nulla certè est ambiguitas, in voce cœlesti, & in doctrina ad salutem

203

lutem nostram necessaria, vel ad fundamentum pertinente, in sacris scripturis proposita, utpote quod minimè Deus in illis homines deludere, & in dubitatione ac mendacijs detinere voluit.

LXVI.

Sic haudquaquam obscura, aut sophismatum ludis, siue imposturis sunt inuoluta, sed absq; omni ambiguitate, & simplici veritate, atq; proprietate verborum, quibus enunciantur, accipienda sunt præcepta Decalogi, cum Legis diuinæ comminationibus: Articuli fidei, cum Euangelij promissionibus: ac deniq;, quæ ad adiuncta est, doctrina de Sacramentis, à Deo ipso institutis.

LXVII.

Quod si hæc dogmata, in quibus fundamenta salutis nostræ comprehensa sunt, *δυσνόητα, βαθέα & δυσερμώευστα* (ut Epiphanius loquitur) videntur, & existunt humanæ rationi, quæ verbo Christi non subiecta est, non tamen absurda & difficilia sunt pijs & credentibus, etiamsi omninò diligentia in perscrutando, meditando, orando, & sensu siue praxi, ac spiritu opus habeant.

LXVIII.

Iam si sententiæ quædam pugnantes, aut obscuriores (ut nobis quidem videntur) occurrant, in sermone Prophetico & Apostolico, non afferamus, aut ex ingenio nostro ipsi excogitemus interpretationes, sed è fontibus suis eruamus, & conferamus sententias Scripturæ, quæ collatæ, & *κατὰ τὴν ἀναλογία πείσεως*, præcipiente Apostolo institutæ, certam lucem & sententiam ipsæ dictis afferent.

LXIX.

In ijs etiam mysterijs, de quibus expressum non extat verbum, minimè arroganter & temere quicquam (ut multi nunc ex falsis etiam fratribus audent) afferamus, nec ex nostris consequentijs & argumentationibus de ijs statuamus, sed intra metas verbi diuini nos sollicitè contineamus.

LXX.

Deniq; cum impossibile sit, in arcana mysteriorum Dei, in hac imperfectione nostra, & caligine vitæ omnino peruestigamus, cognitionem eorum, quæ non sunt patefacta suspendamus, & reijciamus ad futuram cœlestem Academiam, vbi coràm Christum, Dominum & Deum, eundemq; summum fratrem nostrum audiamus,  
C & glori-

& gloriam eius videamus, sicut se ipsum velle Iohan. 17. indicat.

L X X I.

Quod si huiusmodi studio & moderatione, ad normam verbi dextrè accommodata, varijs aduersarijs nondum satisfacimus: censemus illos ex obstinata malitia & cœcitate, quodq; in sensum reprobum dati sint, veritati cedere nolle.

L X X I I.

Non dubitemus etiam Deum omnipotentem, sine ipsorum assensione, lucem veritatis, Ecclesiam & fideles suos omnes, secundum dulcissimas promissiones verbi diuini seruaturum ac defensurum, tandemq; hostes illos quoscunq;, iuxta comminationes suas seuerissimas vindicaturum ac perditurum esse.

F I N I S.

Augustinus lib. 2. de baptismo contra  
Donatist. cap. 3.

*Quis nesciat, sanctam scripturam Canonicam, tam veteris quam noui Testamenti, suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem fortè sapientiosem cuiuslibet, in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem autoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Conci-*

Concilia, licere reprehendi, si quid in eis fortè à ve-  
 ritate deuiatum est. Et ipsa Concilia, quæ per sin-  
 gulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum  
 Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex uniuerso or-  
 be Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaq;  
 plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum  
 aliquo experimento verum aperitur, quod clausum  
 erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho  
 sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arro-  
 gantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum  
 sancta humilitate, cum pace catholica,  
 cum charitate Chri-  
 stiana.



Concilium, licet in quibusdam locis  
vultu dominum est. Et ipse Concilium, quo per  
quas regiones et provincias sunt, plenarie  
Concilium antequam quibus ex universo  
in Christo, sine ulla ambiguitate, et  
plene sine ulla ambiguitate, et  
aliquid experimentum utrumque, et  
etiam cognoscitur, quod latet, sine ulla  
sacris scriptis, sine ulla ambiguitate, et  
etiam sine ulla ambiguitate, et  
sine ulla ambiguitate, et  
sine ulla ambiguitate, et



AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.









195  
16

DISPUTATIO  
**FORMA ET**  
**MENTO FIDEI,**  
NIS CHRISTIANAE, IN  
Symbolis ac confessionibus  
niuersalibus, quam particulari-  
nonnihil differitur.

*ente Deo per Christum, in Aca-*  
*nia Iulia habebitur,*

Præfide  
**Federico Th. D. &**  
pondente autem M. Zacha-  
ergio, Ecclesiæ Helmstadenſis  
Concionatore.



**HELMSTADII**  
icina Typographica Iacobi Lucij.  
Anno M. D. XC.

